& gloriæ, quam eius fidei & ſalutis in vltimum vacatæ vitæ diſcrimen, ne dum iuſta, ſed prorſus neceſſaria defenſio: cuius ſin parem, quia plurimum variat pugnæ, & pugnantium conditio; certe non omnino diſſimilem illi, qui noſtræ Ethicæ vindiciis ſuprà vota fœlix contigit, exitum, non deſperem, ſi quod proSummâ & Regiæ ſtirpis Principis condignâ humanitate impertitus es, grauiùs laboranti, iuſtiuſque decertanti, patrocinium non negaris.

Non minus incerta eſt diſputationum, quam bellorum alea: nec vices rerum magis timendæ, quam cum procul abigitur, & nulla ſubeſt in pejus mutationis formido. Hanc mihi ex Prophetæ Regis conſilio firmamentum poſui, & nullâ mei, totâ in Te poſt Deum, & cauſæ æquitatem collocatâ fiduciâ, rem viribus imparem ſuſcipio: ratus vbi paucis ad te relatam Controuerſiam, omnium oculis ſubjecero; quemcumque tandem meus hic conatus ſucceſſum habuerit, Scholæ & Familiæ noſtræ vindicandæ conſilium, Tuo & ſubinde publico iudicio probatum iri.

Vix vllum eſt ex totius Eccleſiæ cœtu Inſtitutum, quod noſtro grauiores ferat, minuſque commeruerit, vbique terrarum inſectationes: quia nullum extitit, quod propiùs à bene merendi ſtudio, vel longius ab animo aliis quicquam faceſcendi negotij abfuerit: vix tamen ſic nobis comparatis licuit vnquam, in auitâ traditione conquieſcere; & illa à Chriſto parta pace frui: niſi in perpetua quæ pios ſequitur malorum tolerantia reponamus. Quicquid ex ampla Maiorum noſtrorum hæreditate, temporum & morum iniuria, reliqui nobis factum